



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 9. Deditiois pacta

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. ad tam pium opus subsidia præstarent.  
 A.C. 1491. Data est hæc epistola Romæ die prima  
Octobris.

## §. VIII.

*Granata expugnata.*

*Marian. lib.*  
*25. c. 16. &*  
*17.*

Nil magis optabant Mauri, quam ut Ferdinandum ad hostium munimenta incautius procedentem, ad communis prælii discrimen compellere possent. At tamen Rex, cum sibi persuasum haberet, quod famis violentia sine cladis periculo brevi deditorem extorsura esset, anticipem certaminis fortunam experiri abhorruit. Nec eum spes sua fefellit; quippe cum Granatensis obsidio diutius, jamque octavum in mensem, diesque decem nimirum a die vigesima sexta Aprilis anni nonagesimi primi supra millesimum quadringentesimum usque ad anni sequentis diem secundam Januarii protraheretur, tandem Mauri pactis conditionibus urbem cedere compulsi sunt, postquam omnia perpeffi essent, quæ dirissima famis inclementia inferre solet; unde omni alimentorum genere destituti, opis ac consilii inopes, abjecta omnis auxilii spe horrenda mortis præludia experiebantur.

## §. IX.

*Deditionis pacta.*

Ferme solidum bimestre effluerat, & necdum deditionis pacta erigi poterant,



rant, tandem vero utrinque conventum Sæcul. XV.  
A.C. 1491.  
 est. I. Ut intra dies quadraginta Rex &  
 Granatensis populus Castellæ & Arrago-  
 niæ regibus Albambram, & Granatam cum  
 omnibus adjacentibus urbibus integra fi-  
 de traderent. II. Non aliis deinceps Gra-  
 natensis, totiusque regni incolæ sacra-  
 mentum fidelitatis exsolverent, quam  
 Reginæ Castellæ ejusque Successoribus.  
 III. In pignus hujus foederis pridie ante  
 urbem deditam quingentos civium nobi-  
 lissimorum Filios, ac fratres obsides  
 darent, qui per solidos decem dies in  
 Regum Catholicorum potestate perma-  
 nerent, eo fine, ut interea Ferdinandus  
 ejusque conjux arces, & urbes possidere,  
 necnon eas commeatu, & præfidiario mili-  
 te, ac reliquo belli apparatu libere in-  
 struere valeant. Vicissim Ferdinandus  
 & Isabella tam pro se, quam suis Suc-  
 cessoribus fidem dederunt, quod om-  
 nes Mauros, qui in Hispania commorari  
 vellent, in fidem suam reciperent, ab  
 omni vi aut injuria tuerentur, perinde ac  
 ceteros eorum fideles subditos, nec per-  
 mitterent, ut alia via quam juxta con-  
 sueti juris præscripta judicarentur, Mau-  
 rique suis juribus & privilegiis bonisque  
 uterentur: si qui autem ex Hispania abi-  
 re, atque in Africam navigare mallent,  
 iis sua bona pretio vendendi facultas ef-  
 set, eisque navigia darentur. Tandem

F f 3

Mau-



Sæcul. XV.  
A. C. 1491

Maurorum Regi ad alendam familiam suam ampla constituebatur pensio; verum potior pars eorum, qui antea ejus partibus adhærebant, illo relicto in Africam secesserunt.

## §. X.

*Granata a Maurorum Rege tradita Ferdinando.*

Impendente termino, quo Granatensium Rex Albambram, ceterasque arces traderet, Cardinalis de Mendoza Archiepiscopus Toletanus illuc se contulit, urbium claves nomine Reginae Castellanae recepturus; hunc comitabantur Ministrorum suorum potissimi, necnon Procerum quam plurimi, quos selectior Hispanorum militia sequebatur. Conditionibus integra fide adimpletis, cunctisque urbibus traditis, Cardinalis Crucem, quæ ipsi præferebatur, in summa turri constituit, geminum quoque vexillum D. Jacobi, Ferdinandi & Isabellæ in aggeribus erexit, statimque subsecutus est gratulantium clamor, & impatiens moræ lætitia, necnon festivus omnium belli tormentorum fragor. Eo facto Reges Catholici quantocius ex castris ad urbem contendunt, illius possessionem recuperaturi, quibus Rex adolescens obviam egressus est, ut urbis claves redderet,